JOHANNES ERNESTUS SCHAPER,

SERENISSIMI DUCIS MECKLENBURGENSIUM REGENTIS CONSILIARIUS REGIMINIS ET ARCHIATER, MED. DOCT. EJUSQVE PROF. DUC. PUBL. PRIMAR. ET ORD. TOTIUS UNIVERSITATIS, COLLEGII DUCALIS, ET FACULT. SUÆ SENIOR.

HODIE

Academiæ Roſtochienſis RECTOR

In inſtanti

S. MICHAELIS

Archangeli, reliqvorumq; Angelorum, Cœleſti in Curia perpetuo triumphantium, Feſto,

GAUDIUM eorundem IN JUBILÆO N. T. CHRISTIANO CIRCA ANIMAS POENITENTES VERE JUBILÆUM,

Ad

Proſeqvendum illud devotiſſimis Meditationibus, & ut circa Semetipſos ſalutariter etiam inſtituatur, Studioſiſſime connitendum,

Omnibus Omnium Ordinum Academicis Civibus,

Publica hac, ipſorumq; ſaluti ſerio intenta atqve addicta ratione commendat.

ROSTOCHII, Typis JOH. WEPPLINGI, SEREN. PRINC. & *ACAD.* Typogr.

a-14

DIſſerui qvædam, CIVES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, in Programmate illo Sacro, qvod præterito Pentecoſtes Feſto, ex more in hac Academia recepto, publicavi, de Jubilæo Chriſtianorum in N. T. Evangelico, ejusdemqve Collatore æqve ac Obſignatore Gratioſiſſimo, SPIRITU SANCTO, & qvidem occaſione Jubilæi illius Secularis, qvod iterum per DEI gratiam recolimus anno currente in memoriam Reformationis Evangelicæ, Anno 1517. d. 31. Octobr. à Megalandro Luthero, maxima omnium cum admiratione ſuſceptam; placet igitur & nunc occaſione ejusdem in menſem ſubſeqventem incidentis Jubilæi, Programmate hoc Michaelitico nonnulla diſſerere, de præcipuo qvodam circa Jubilæum Chriſtianorum N. T. Evangelicum momento, tribus tantum verbis iſto tempore inſinuato, de Angelorum ſcil. Sanctorum gaudio vere Jubilæo propter animam illam fidelem, qvæ non parvi profecto æſtimat immenſam illam Gratiæ Divinæ abundantiam, Jubilæo N. T. Gratioſo exhibitam, ſed perpetui etiam ſui Jubilæi legitimo flagrans ſtudio, in id omnibus viribus intenta eſt, ut qvamdiu vita hac frui ſibi licet mortali, tamdiu gratiæ ac benevolentiæ Divinæ per pœnitentiam ſibi conciliatæ, incomparabili theſauro exoptatum in modum perfruatur. Occurit de gaudio hoc, Angelorum, nominatim Beatorum, Cœleſti, meo qvidem arbitrio omnium maxime Jubilæi nomine digno, illuſtriſſimum aliqvod teſtimonium in Evangeliſtæ Lucæ Cap. XV. v. 10. qvippe in qvo ipſemet Salvator noſter Glorioſiſſimus, poſtqvam in antecedentibus duabus Parabolis, altera, de ove deperdita, altera, de deperdita drachma, egregia prorſus Apologia ſeſe defenderat adverſus Scribarum & Phariſæorum injuſtas criminationes, ob promte exceptos à ſe converſos Pubicanos æqve ac Peccatores, adverſus ſemetipſum inſtitutas, & ſimul genuinum fidelium animarum Paſtorum circa oves errantes officium (qvod qværendo, abſolvitur, reducendo, & congaudendo) ſanctiſſimo ſuo exemplo liqvide demonſtraverat, ſubjuncto Epiphonemate ſatis Emphatico bigam Parabolarum iſtarum Apologeticam concludit, eodemqve fructuoſiſſimam pœnitentiæ

tiæ

WELLCOME LIBRARY INSTITUTE
58700(58)

tiæ debita ratione comparatæ dignitatem mirabiliter extollit, ſeqventia proferendo verba pondere inexhauſta: *Ego dico Vobis, qvod ita qvoqve gaudium futurum ſit* (enaſcetur) *in cœlo coram Angelis DEI ſuper Peccatore uno, eoqve pœnitente*, illis ſcil. Angelis, qvi integritate ſua ab omni peccato remoti in loco illo glorioſo Viſione DEI beatifica æternum triumphant. Non attingam hac vice gaudium illud ineffabile DEI Patris de Peccatore qvodam pœnitente, qvod ipſe etiam Chriſtus in Parabola de Patre illo Filii prodigi, ob redeuntem ad officium ſuum Filium, intimo cordis gaudio tripudiante, in eodem Capite v. 11. ſqq. graviter admodum adumbravit; non attingam gaudium illud ineffabile Filii DEI, Paſtoris illius animarum Supremi, de Peccatore qvodam pœnitente, qvod ipſemet iterum eodem Cap. v. 1--7. Parabola illa de Paſtore ovem qvandam deperditam qværente, reportante & idcirco largiter gaudente, mellita ſanè ratione delineavit: nec attingam gaudium illud ineffabile Spiritus Sancti, de Peccatore qvodam pœnitente, qvod Parabolâ eodem in Capite v. 7--10. propoſita, Muliere ſcil. drachmam qvandam amiſſam qværente, inveniente, & impenſe lætante, juxta plerorumqve Commentatorum, qvantum mihi qvidem conſtat, ſententiam, denuo Redemtor noſter, JEſus Chriſtus, aureo certe ſimili, tectiori licet ratione, deſignavit: ſed attingam tantum hac vice gaudium illud Angelorum Beatorum verè Jubilæum, qvod verbis paulo ante in medium productis ab ipſo Chriſto luculentiſſime expreſſum eſt, & à Pio illo *Bernhardo* ſermone trigeſimo in Canticum Canticorum, aliis qvanqvam, inter alia, iisqve his verbis, eodem tamen ſine dubio ſenſu, prolatum: *Pœnitentium Lacrymæ ſunt Angelorum deliciæ.* Hoc ipſum autem Angelorum Sanctorum Jubilum, dum intimiori qvadam mentis æſtimatione conſideratur, & accuratiori penſitatione pervolvitur, & qvoad internam illam, qvæ ipſi inſita eſt, naturam & proprietatem, & qvoad externam, qvæ ipſi adſita eſt, conditionem, non aliter concipi poteſt neqve concipitur, qvam *Jubilum ad beneplaciti Divini normam exacte compoſitum*, qvippe qvo propter οἰκείωσιν & maximam cum DEO unionem Angeli de eo lætantur, de qvo lætatur DEUS & Angeli ſuum de eo teſtantur beneplacitum, de qvo DEUS ſuum non tantum teſtatur beneplacitum, ſed & circa qvod

illud

illud aſſeqvitur æqve ac exſeqvitur, qvale qvid eſt Converſio Hominis Peccatoris, qvam in verbo teſtimonii ſui longe gratiſſimam ſibi eſſe confirmat juramento per æternam vitæ ſuæ veritatem conformato, qvamqve in eodem alibi verbo maxime conformem eſſe declarat eſſentiæ ſuæ ac voluntati, nonniſi qvod Sanctum & Juſtum eſt, amanti, jubenti, comprobanti, gratioſeqve remuneranti, qvamqve vel ideò jucundiſſimam ſibi eſſe, impenſiſſimo ſuo gaudio ſignificant Angeli Sancti, Divinam undiqvaqve Sanctitatem & Juſtitiam integerrime propugnantes, eſſentiæqve ſuæ ac voluntati, Eſſentiæ & Voluntati Divinæ optime rectiſſimeqve ſubordinatæ, pariter eſſe convenientiſſimam. Nec eſt qvod exiſtimemus, ſolo illo, qvod jamjam protulimus, momento, abſolvi naturam & indolem Jubili illius Angelici in Jubilæo N. T. Chriſtiano verè Jubilæi, eſt potius qvod nobis firmiter perſvadeamus, in eo ulterius eandem ſeſe exſerere, qvod ſit *Jubilum ad mutuam cum DEO converſationem maxime directum*, qvippe qvo operoſiſſime id procurare conantur gaudentes Angeli, ut Homines Peccatores, qvi infeliciſſimum in modum exciderunt qvidem è communione præſtantiſſima gratiæ ſimul ac gloriæ, ad eam tamen per genuinam ſuam pœnitentiam feliciſſimum in modum redierunt, ab impœnitentibus, communione illa & in tempore & in æternitate miſere carentibus, longiſſime ſint & maneant remoti, & contra, vere pœnitentibus, & in tempore & in æternitate ſplendide communione illa fruentibus, arctiſſime ita ſint & maneant conjuncti, ut converſari poſſint inchoata qvadam ratione cum DEO Uni-Trino, ſincera fide, integritate vitæ, & indefeſſa laude, in communione benedicta gratiæ, & viſione intemerata, ſanctitate incorrupta, celebrationeqve nova, eaqve continua, conſummata illa ratione, in communione beata gloriæ. Ecce novum aliqvod, qvod apparet, documentum, naturam exhibens & proprietatem dulciſſimi illius Angelorum Sanctorum Jubili, qvod circa Peccatorem inſtituunt pœnitentem in Jubilæo N. T. gratioſo, ſed tale documentum, qvod aliud concomitatur novum, ex qvo conſtare porro poteſt, qvod Jubilum illud Angelicum ſit etiam *Jubilum ſalvifici Chriſti meriti præconio egregie conſpicuum*, qvo mediante Spiritus illi Miniſtratorii, qvi Salvatori noſtro Gratioſiſſimo, à primo ſtatim nativitatis initio ad glorioſam usqve in Cœlum aſcenſionem, in omnibus ejusdem, paſſionis

qvoqve

qvoqve & reſurrectionis, actibus, paratiſſimo ſuo adfuerunt miniſterio, qvantam poſſunt operam adhibent maximam, ut dignum in modum illuſtrent & prædicent excellentiſſimum illum fructum pariter ac effectum, qvi ex redemtione & ſatisfactione Salvatoris jamjam memorati plane inæſtimabili, ad Peccatores legitime pœnitentes copioſe eo ipſo redundat; qvod pretioſo ejus, tanqvam Agni immaculati, ſanguine, à graviſſimo peccatorum reatu abſolvantur integre & emundentur, pulcherrimo ſalutis ejus veſtimento & juſtitiæ ejus amiculo condecorentur, & è numero Filiorum iræ, noctis, peccati & mortis, transferantur in catalogum Filiorum gratiæ, lucis, ſanctitatis & vitæ, ſicqve admodum liberaliter adoptentur in Filiationem ſpiritualem hic in Via, ex ipſorum parte nondum perfectam, ibi verò in Patria, omni ex parte omnibus ſuis modis abſolutam. Verumenimvero, ut intra Programmatis brevioris me contineam terminos, prætermiſſis reliqvis, qvæ in hoc argumenti genere in medium produci poſſunt, illuſtramentis, unum tantummodo Superioribus addo momentum, de natura & indole Angelici circa animas DEO reconciliatas occupati Jubili, conſtrictiſſimis, æqve ac præcedentia, lineamentis, ſummatim deſcriptum, qvo nempe pœnitentiale illud, in qvod intenti ſumus, Angelorum Sanctorum Jubilum, ut *Jubilum* qvoqve repræſentatur *intemerata erga Homines Concives caritate refertum*, cujus beneficio Benigniſſimi illi Spiritus intentiſſimo rurſus amore proſeqvuntur omnes illos ac ſingulos, qvos magno averſati ſunt odio, & indignos judicarunt prænobili ſuo conſortio & miniſterio, per illud tempus, qvo indignos reddiderunt ſemetipſos Cœleſtibus auxiliis Clementiſſime ſibi collatis, caſtra circa eosdem ponunt longe illuſtriſſima & adverſus hoſtium quorumvis prævalentes alias impetus munitiſſima, in Eccleſia militante, tanquam membra uno ſub Capite Supremo, JESU nempe CHRISTO, pro DEI gloria & animarum ſalute, armis ſpiritualibus pugnantia, agnoſcunt, fovent, defendunt, omnique conſortii ſui genere ſuo modo exhilarant, ſique in ſtatu illo reconciliationis lætifluo, ad analyſin usque pacificam ſincera fide & debita ſanctimonia perſeverent, animas ipſorum in ſinum illum deportant Abrahamicum, Eccleſiam illam triumphantem, ubi ſuo tempore

 cum

cum corporibus conjunctæ, ἰσαγγελία illa beatiſſima & profluente inde conſortio illo ſuaviſſimo, feliciſſime in æternum exultabunt.

Attendamus nunc, qvod reſtat adhuc, CIVES OMNIUM ORDINUM HONORATISSIMI, debitum noſtrum officium, qvod ſancte nobis obeundum eſt, non tantum in præſenti hoc S. Michaelis Archangeli, reliqvorumqve Angelorum Sanctorum Feſto, ſed & in omni illo, quod nobis reſiduum eſt, vitæ ſpatio, & ea, qva decet, mentis devotione agnoſcamus, ad explanatum hactenus aliqua ex parte Angelicum Jubilum idqve vere Jubilæum, de gratioſa pariter ac glorioſa animarum pœnitentium ſalute magna cum lætitia adornatum, omnia Jubilæi Chriſtianorum in N. T. Myſtici genera, velut ad centrum qvoddam accuratiſſimum, admiratione digna qvadam harmonia concurrere, qvalia ſunt ex cardinalibus ſive præcipuis, *Jubilæum prædeſtinationis æternæ*, qvo mediante DEUS elegit omnes Homines in Chriſto ante jacta Mundi fundamenta, ut ſancti eſſent & inculpati in conſpectu ejus in laudem gloriæ ejusdem gratiæ: *Jubilæum vocationis & revocationis ſeriæ*, qvo mediante DEUS variis modis vocavit omnes Homines in tempore, variisqve vicibus revocavit, ut eſſent manerentqve Cives digni Regno ſuo gratiæ in tempore & Regno ſuo gloriæ in æternitate: *Jubilæum redemtionis pretioſæ*, qvo mediante Salvator noſter Θεάνθρωπος omnes Homines æterna redemtione ab Inferni faucibus vindicavit & Cœleſti Paradiſo ſalutariter reſtituit: *Jubilæum ſanctificationis auguſtæ*, qvo mediante Spiritus Sanctus, qvantum in ſe eſt, omnes Homines per media gratiæ juſtificat, regenerat, renovat, & ſanctificat, ut integer ipſorum ſpiritus, anima & corpus irreprehenſibiliter præſervetur ad adventum usqve Domini noſtri JESU Chriſti beatum & extremum. Reformemus ſic vitam noſtram, ſi qva ſe præbet inordinatam, blande nos ad hoc invitante, qvod brevi, ut ſupra innuimus, tempore, recurret, Seculari Evangelicæ Reformationis Jubilæo, ut DEO Clementer adjuvante, componamus eandem aſſidue ad metam illam ſalutiferam, qvæ per prædeſtinationem noſtram eſt præordinata, per creationem noſtram conformata, vocationem & revocationem noſtram repetita,

per

per redemtionem noſtram redintegrata, & per ſanctificationem noſtram præmunita, pœnitentiam ſcil. fide conſtipatam, ſœpius iteratam, adeoqve perpetuam, qvippe per qvam ex optimo *Auguſtini*, *Bernhardi*, *Lutheri*, aliorumqve candidorum Eccleſiæ Doctorum judicio, univerſum vere Chriſtianorum vitæ curriculum, juſta qvadam ratione abſolvitur, qvod brabeum Cœleſte ex gratuita DEI remuneratione liberaliter conſeqvitur: ſicqve per Divinum auxilium noſtrumqve indefeſſum ſtudium, incomparabile illud nobis in præſenti mortalitate comparemus Jubilæum gratiæ, qvo Sancti pariter Angeli de noſtra etiam eaqve vera pœnitentia & fide Jubilo gratioſo maximopere ſibi gratulentur, & in futura immortalitate, impenetrabile illud poſſideamus Jubilæum gloriæ, qvo recepti in beatum Spirituum horum Electorum ordinem ac numerum, de eodem, alia inter innumera, argumento, Jubilum cum iisdem, Concivibus noſtris, continuare poſſimus Triſagii illius ſine fine glorioſum.

O Veneranda Trinitas!
Par Splendor & Divinitas.
Lux Sancta, Sancta Puritas.
O Sancta Pax & Caritas!

* * *

Qvam dulcis pœnitentibus,
Qvam pius es petentibus,
Qvam bonus TE qværentibus,
Et ſic invenientibus.

Vera

Vera Dulcedo Cordium,
Fide TE complectentium,
Excedens omne gaudium,
Et omne deſiderium.

Cantamus TIBI gratiam,
Devotæ mentis copiam:
Eo qvod per præſentiam
Tuam videmus gloriam.

Æterni Tui Nominis,
Divinæque dulcedinis,
Tui laus honor Numinis
Regnum beatitudinis.

TIBI ſit laudis gloria,
Sit honor & ſcientia.
Sit robur & potentia,
In ſempiterna Secula.

P. P. Sub Sigillo Rectoratus Academici, in ipſo Michaelis Archangeli & Angelorum Feſto. Anno, ob reſtauratam religionem, eamq; genuinam, Seculari & Jubilæo MDCCXVII.